

Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Impedimenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonae [u.a.], 1755

Caput V. De respectu humano.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55524](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55524)

CAPUT V.

D E R E S P E C T U

H U M A N O.

Quam magnum solidæ virtutis
impedimentum, quin immò
exterminium sit, emersum
illud ex inferis monstrum,
respectus humanus, nullis
coloribus sat depingi, nullo sermone
sat exprimi potest. Is enim est exe-
crabilis ille *deus filiorum Ammon, Mo-*
loch dictus, (a) cui olim filii Israël
teste *Jeremia initiauerunt filios suos &*
filias suas; (b) cùm etiam huic innu-
meri gratiæ partus, pia scilicet pro-
posita, victimæ immolentur. Is est
illud *idolum nomine Bel*, (c) quod non
minorem modò animarum stragem,
ac illud olim ciborum edere, tartarea
ingluvie consuevit. (d) Denique est
ille *draco magnus, quem colebant Baby-*
lonii, (e) & cui ipse Cyrus Numinis
aliquid

(a) 3. Reg. 11. v. 33. (b) Jerem. 32. v. 35.
(c) Dan. 14. v. 2. (d) Dan. 14. v. 5. (e)
Dan. 14. v. 22.

aliquid inesse excors credebat. (f) Cùm turmatim cæci mortales etiam huic portento : *quid dicent homines?* timidum flectant genu. At Danielis exemplo (g) & ego huic stygio fœtui larvam detrahere conabor , ejus I. stultitiam , II. tyrannidem , III. impietatem omnium conspectui exponendo ; ostendamque , quod, licet commentitius hic deus , alter veluti Bel , *forinsecus* appareat æreus ; *intrinsecus* tamen sit luteus , (h) & cordato nemini formidandus.

§. I.

Respectus humani stultitia.

I. **R**espectus humanus est vitiosa cupidido hominibus placendi , eis-^{f.} que displicendi humilis metus , nos ^{Præhabet lutum auro.} impellens ad plurima mala agenda , & bona omittenda , ut aliorum gratiam vel aucupemur , vel vituperium declinemus. Summam hujus vitii stultitiam esse , ex ipsa rei natura elucet.

N 4

Quid

(f) Dan. 14. v. 23.

(g) Dan. 14. v. 26.

(h) Dan. 14. v. 6.

Quid enim stultius, quām nunc erubescere ob bonum, de quo aeternūm gloriabimur; & gloriari de malo, cuius nos aeternūm pudebit? plus timere dieteria mundi, quorum ineptiam nos ipsi explodimus; quām iudicia cœli, quorum æquitatem adoramus? malle perdere trium millionum geminam, quām futile vitrum; id est, integrum majoris gloriae & felicitatis aeternitatem, quām diurnum hominis favorem? malle offendere DEUM, qui appendit tribus digitis molem terræ; (i) quām vilem homunculum, qui non est nisi vapor ad modicum parens? (l) nolle videri bonum, ne displiceas malis; hinc ob id ipsum displiceas bonis. In summa: nolle se salvare; quia alii sunt ita amentes, ut velint damnari. Quæ hæc infania!

O famelice popularis auræ captator! fatere, quod res est. Ain', an ignominia afficeres amicum potentem, munificum, divitem, ut gratiam ineas apud lacerum, impotentem, ulcerosum,

(i) Isa. 40, v. 12.

(l) Jac. 4, v. 15.

sum, turpem mendiculum? An laces-
feres regem, ne contristes ejus stabu-
larium? O insane! injuriam, quam
nec homini faceres, supremo Numini
infers; cum eminenter major inter-
cedat distantia inter illum & te, quam
regem & servum. Et hanc infers illi
DEO, a quo omnia habes, & unicè
dependes: qui te eo ipso, quo haec
agis, momento eadem, qua muscam,
facilitate conterere potest; & quidem
amore vermiculi, qui ipsa impotentia,
miseria, indigentia est; cum irrepara-
bili jactura inestimabilis lucri. Quid,
quæso, amentia est, si haec non est?

II. Sanè si mercator etiam ditissi- II.
mus certò sciret, se non assecuturum Eligit ma-
mille aureorum fœnerationem, negli- lum ma-
gendo illud ipsum opus bonum, quod jus, ut vi-
tu modò tam temerè, ne socium of- tet minus.
fendas, prætermittis, nullo id modo
ob vanos timores intermissurus esset.
Tu credis minimum gratiæ & gloriæ
gradum hac ipsa pecuniæ summa in-
finitè præstantiorem esse, tibiique pro
omni æternitate longè utiliorem fore,

N s quam

quàm omnes totius orbis thesauros.
Scis, pœnam, ob ejus neglectum tibi
infligendam, acerbiorem fore omni-
bus suppliciis hujus mundi; & tamen
in gratiam hominis, qui *pulvis exiguis*
est & nihilum, (m) illum negligis, hanc
incurris. Quæ hæc dementia! O Deum
immortalem! ergóne solum cælestia
ejus generis bona sint, quæ jure pro-
digantur ob futilem quemque respe-
ctum, ob quem nec terrena negligi-
rentur.

Edic, si quis sibi pedem abscinderet,
domum incenderet, gulam frangeret,
ut levem culicis morsum effugiat; an
non mente captus diceretur? Ah stul-
te! quid aliud agis, dum animam læ-
dis, gratiam spernis, lustrales flamas
succendis; ut mordax aliquod verbu-
lum, inane ludibrium, momentanæ
irrisionis pulvisculum excutias? quis,
obsecro, insanire te neget? O Domi-
ne! aufer iniquitatem servi tui; quia
insipienter egi; (n) dum humanum fa-
vorem

(m) Isa. 40. v. 17. (n) I. Paral. 21, v. 8.

vorem Divino prætuli. Pudet me à
facie insipientiæ meæ! (o) Plura effari
pudor vetat.

§. II.

Respectus humani tyrannis.

I. **A**dhæc noxiæ hujus erubescentiæ I.
non solum ingens stultitia, sed ^{Privat li-}
summa insuper tyrannis est. Quid ^{bertate} & existi-
enim durius graviusque, quām libe- ^{matione.}
rum te alieno impetu regi? rationa-
lem te alterius errorem viæ ducem se-
et, qui? virtuti natum habere pro recti-
norma aliorum vitia? sinere te in quam-
vis partem pro libitu flecti à lunatica
eorum opinione, qui cras denuo fe-
cisse te culpant, quod tamen, ut facias,
hodie volunt? Quid inclementius,
quām subesse illorum cœcæ affectioni,
qui contrariis motibus in gyrum in-
star pilæ aguntur, ac in horas ridiculi
mutantur?

Et huic subesse in rebus summi mo-
menti, animæ ac æternitatis? recla-
mantē

(o) Psal, 37. v. 6.

mante intellectus lumine, ingemiscen-
te conscientia, & Cœlitibus Nemesis
iram denunciantibus; & quidem huic
subesse tunc solum, quando agitur de
servitio & gloria Numinis; qui idem
jugum mox excutimus, dum pericli-
tur favor aut gratia principis, aut alte-
rius, quem reveremur, superioris?

Quid inhumanius, quam hominem
animantium regem, DEI filium, cœli
hæredem non solum secundum bona
fortuna, sed omnino animi, non im-
peratoris cuiusdam aut monarchæ, sed
æqualis sibi socii turpe mancipium es-
se; suamque rationem ac libertatem,
quæ maxima ejus decora sunt, alterius
phantasiæ spontaneo famulatu manci-
pare, ac omnem præterea, qua apud
alios pollebat, existimationem talis
fungi stulta lubidini victimam immo-
lare; ita ut *venundatus sub peccato*, non
jam, *quod probat, bonum hoc faciat*,
sed quod damnat malum, hoc agat? (a)
O verè servitutem omni Turcica crude-
liorem; illa enim solum privare nos
potest

(a) Rom. 7. v. 14. & 19.

en- potest bonis terrenis, externis, tem-
efis porariis; hæc verò insuper nos spo-
uic iat bonis interioribus, supernis, im-
de mortalibus: non solum corporis sani-
em ate, & nominis fama; sed etiam cœ-
ta. sti gratia, majori gloria, ac ipsa non
te- arò salute æterna.

II. Condolemus miseræ illorum sor-
em i, qui olim tyrannorum jussu suis se
xeli besauris ipsimet exuere, proprios in-
na intes paterna manu trucidare, ac de-
m ique apertis oculis, ac ridenti ore
sed succensum clibanum voluntario sal-
ef se conjicere cogebantur. O miser!
n, ar in te sœvities est tui illius idoli;
us uid dicent homines; id enim æquali-
ci urore te adigit, ut innumeros gratiæ
ad gloriæ gradus sponte à te abjicias:
lis parvulos tuos, nempe optima san-
tioris vitæ desideria, ad petram scandalè
on psus allidas; (b) & in purgantes de-
t, ique rogos amenti lubentia temet ip-
1) us tu præcipites.

Et licet cum Paulo subin, hujus jugi
os erctæsus, ingemiscas: *infelix ego homo,*
quis

II.
Et innu-
meris cœ-
li donis.

(b) 136. v. 9. & Isa. 8. v. 14.

quis me liberabit de corpore mortis hujus,
id est, ex vinculis respectus humani!
licet, inquam, superno lumine illustra-
tus, viam & modum conspicias, qua-
te possis liberare à servitute corruptionis,
& in libertatem gloriae filiorum DEI af-
serere; (c) tamen, nescio, quo fa-
scinatus philtro, id renuis, subigi gau-
des, ac etiam amas tyrannum, capti-
vantem te in lege peccati. (d) Hoc
enimvero te quovis servo deteriorem
reddit; cum te infame hoc scelus non
solùm ratione & libertate, sed ipso
etiam liberationis voto summa tyran-
nide exuat. O quis evellet de hoc la-
queo & fero mancipatu pedes meos! (e)
Fac, Domine, ut etiam mihi pro mini-
mo sit, ut ab homine judicer, aut ab
humano die. (f)

(c) Rom. 7. v. 24. & 8. v. 21.
7. v. 23. (e) Psal. 24. v. 15.

4. v. 3.

(d) Rom.
(f) I. Cor.



§. III.

§. III.

Respectus humani impietas.

I. **D**Enique enormous pariter hujus monstri impietas est. Hanc ut pleniū cognoscas, repentem humi mentem nonnihil erige, oculos in cœlum attolle, ac rei, quam patras, indignitatem perpende. En! hanc ipsam, quam nunc ex vano metu ponere, vel omittere cogitas, actionem infinita DEI Sanctitas ut impiam, ejus Sapientia ut stultam, ejus Æquitas ut iniquam improbat, dissuadet, vetat. Suffragatur æterno annutu trina Personarum unitas: subscribit suo sanguine Christus: Divinum hoc senatus - consultum universa cœlestis curia supplex adorat. Contrà verò abjectus aliquis ranunculus, temerè ex vitiorum cœno putre exerens caput, id est, leviculus quidam socienus, cuius intellectus merus error est, & voluntas vivus Aprilis; is eandem rem, interposita auctoritate sua (yah pondus grave!) tibi ut generosam prædicat, suadet, imperat.

II.
Jam

Jam cursum sistatis, ô sidera! & huic scenæ attendatis, velim. Quid eliges jam, ô Christiane? En! spectaculum factus es angelis & hominibus, qui ad faciendam à te electionem cupidi mentem intendunt. Ut cœli decreto auscultes, hortatur custos genius, rogan cœlicolæ, promissis Misericordia, minis Justitia insistit. Solus hic tuus familiaris, objecto inani terriculo, in oppositam te partem impellit. Verbô: qui prohibet, DEUS est; qui jubet, homo.

Jam age, quid statuis? cui obsecundabis?... Dubitas!... An ergo huic cœnoso coaxanti ranunculo (quid enim aliud est iste gregalis tuus, Numini comparatus?) an, inquam, huic præ S. S. Triade, concultato ejus mando, morem geres?... Ita est, aïs: geram. Verum adverte, obsecro, quid facias? En! iste ipse corrupti judicii socius tuum hoc factum cum tempore ipsem̄ ut illicitum reprobabit. Tu ipse sub mortem illud ut fatuum damnabis. Extremo judicij die universus orbis

orbis vesanæ improbitatis te arguet. . . .
Reprobet ille , damnem ego , arguant
omnes ; nil obest , ais : ringentibus su-
peris sodali huic meo nunc gratifica-
bor. Vah impium te ! ergóne petul-
cam hujus nihili phantasiam justissimo
Æternæ Mentis placito præhabebis? . . .
præhabeo, inquis.

Sed perpende, quæso, te ob eandem
ipsam actionem , qua cupis placere
malis , odio futurum bonis ; plusque
vituperii ab his , quam laudis ab illis
te relaturum. Sit , reponis : disipli-
ceami DEO , modò non displiceam ho-
mini: offendatur Christus , modò non
contristetur amicus: indignentur Cœ-
lites , modò non irrideant sodales: sim
horrori bonis , modò cordi sim ma-
lis. Ita tu non quidem verbis , sed ta-
men factis. O cœlum! hæc audis , nec
tamen excusso fulmine temerarium é-
vestigio punis! Quid hic magis admi-
rer? num insanam mortalium proter-
vitatem ; an verò patientem Summi
Entis clementiam ?

*Pars I.**O**O Supe-*

O Superi ! credere orbis Conditorum infinitè plus prodesse nobis , ac nocere posse, quàm omnes simul res creatas : Eundem adorare ut DEUM, timere ut judicem, colere ut summè beneficum : palam jactare , nos Eum amare ut patrem , in Eum sperare ut unicum boni fontem , ad Eum tendere velut ultimum finem; & tamen mox eodem vix non momento Eum lādere, irritare, laceſſere : homini , qui *putredo & vermis* est, (a) postponere; idque agere, non ut universi ruinam impediāmus: nec ut à diris nos cruciatibus aut probroſa morte liberemus ; ſed (ô ſtellæ occulite radios!) ne vili lumbrico, impudenti ſocieno leve fastidium creemus : ne in leviculi homuncionis offenſiunculam incurramus ; & quidem ex mera petulantia, nullo tyranno cogente, nemine prœmīis alliciente, ex ſolo puerili reſpectu ; idque toties, . . . post agnitam rei indignitatēm, . . . eo ipſo tempore, quo Divina, omne meritum præveniens, dilectio tot aliis nos

præ-

(a) Job. 25. v. 6.

præfert, infinito amore fovet, ingentibus beneficiis compleat; hoc certè ejus generis malitia est, cui laesa Divinitas meritò omni sua immensitate irascitur, & quam delinquentium conditio plurimùm auget, aggravatque.

Nam quod falsorum numinum cultores fanatico huic idolo sacrilegum curvent genu, id mitius ferendum est. At verò quod Christiani plus timeant joculares cavillationes impiorum, quam martyres formidârint ignitas sartagines tyrannorum; Christiani, inquam, qui fidei causa impavido vulnu tenentur occurrere tortorum ensibus, subire catastas, descendere equuleos; quod Religiosi, qui ad necem & tormenta pro Christo subeunda umbratili fervore ultro aspirant; quod hi, inquam, ad unicum hoc verbulum: *quid dicent homines?* toti palleant, & contremiscant; quod hos coram nauci socio ob imaginariam contemptus umbram virtutis pudeat; quod hi amicitiam humanam cum jactura Divinæ mercari non horreant; id profectò tanta tamque abo-

O 2 minan-

minanda perversitas est, quam Dominus jure castigat illa talionis poena, per Lucam intentata his verbis: *qui negaverit me coram hominibus*, etiam hic *negabitur coram angelis DEI*: & *qui me erubuerit*, etiam hunc filius hominis erubescet; *cum venerit in maiestate sua.* (b)

Toties enim aliquo sensu illum negamus, ejusque erubescimus, quoties ex stulto pudore vel bonum omittimus, vel malum committimus. Nam esse quidem pios, nolle tamen videri, ne rideamur ab impiis; odiisse quidem vitium, id tamen tegere, ne virtutis cultores habeamur; quid hoc est aliud, quam profiteri quidem Christum, sed erubescere Evangelium? ejus doctrinam quidem recipere, sed praxin respuere? esse Christianos ore, sed trans fugas opere, ac in gratiam hominum prodere causam DEI?

II. *Et certè vix ullum aliud crimen majorem cum merè externo, metu-
que*

(b) Luc, 12. v. 8, &c 9, v. 26,

que extorto , deorum cultu affinitatem habet ac præsens hæc animi ^{cies ido-} la-^{latriæ,} bes. Prioris enim delicti enormitatem Apostolus in eo constituit, quod gentes coluerint, & servierint potius creaturæ, quàm Creatori. (c) Quid autem minùs hi faciunt, dum supremam Majestatem offendunt, ne gregalem lædant? Quid enim hoc est aliud, quàm colere cœnum præ cœlo , & servire potius creaturæ quàm Creatori?

Nec obest, quod solùm extrinsecus tales se simulent ; mente verò debitam Superis clientelam semper deferant. Licet enī in is, qui solūm fictè Jovithus adolet , corde Christum adoret; quia tamen aliquod huic truncō numen inesse exterius ipso opere loquitur, id jam sufficit, ut desertor audiatur, & gravissimi flagitii reus ; nam quamvis christianè sentiat, tamen ethicè agit. Idem præstat , qui ob noxiā ejusmodi verecundiam temerē delinquit.

O 3

Nam

(c) Rom. i. v. 25.

Nam etiam ille non quidem assensu interno (alias blasphemus foret hæreticus) sed tamen ipsa actione externa palam ostendit, & declarat, dignorem esse suum hunc contubernalem, cui satisfiat, quam DEUM; minoris faciendam esse offendam hominis, quam Numinis; majora esse bona, ob quæ in gratiam amici peccatur, quam illa sint mala, quibus haec noxae puniuntur; & quam illa sint præmia, quæ in cœlis sperantur. Ut proin respectus humanus propter eam, quæ intercedit, similitudinem non minori jure, ac avaritia simulacrorum servitus nuncupetur. (d) Edicite jam, quid de hac animarum peste foedius dici, quid de ejus malitia execrabilius concipi mente possit?

^{III.}
*Est causa
ruine gen-
tis huma-
na,* III. Verum erramus, dum summa hæc esse credimus. Geminas adhuc scenas orbis theatrum spectandas exhibet, quæ hujus portenti impietatem coloribus genuinis vivaciūs adumbrant. Primam nobis pandit ille flammeo atque *versa-*

(d) Coloss. 3. v. 5.

versatili gladio armatus Cherubim, qui ante paradisum voluptatis custos à DEO collocatus, (e) *inde primos Parentes in flebile exilium, interdicto aeternūm reditu, tristes propellit. Consideremus jam pedissequas hujus proscriptio-*
nis miserias, nempe apertas orci fau-
ces, clausas cœli portas, terram om-
nium malorum alluvione oppressam;
& tam universali mortalium clade at-
toniti, quis illas aperuerit, istas clau-
serit, hanc oppresserit, percontemur?

Ah ! aperuit, clausit, oppressit re-
spectus humanus ; dum in Adamo ve-
titum glutiat pōnum, ne uxorem con-
tristaret. Is is est ille prædo, qui ge-
nus humanum Jerichuntem profugum
immortalitate, justitia, gratiis, appeti-
tionum dominio privavit, *plagis im-*
positis semivivo relicto ; (f) & ho-
rum loco mortem, peccatum, cupi-
ditatum rebellionem plena cluvie in
mundum invexit. Vah ! monstrum
execrabile !

O 4 Alter-

(e) Gen. 3. v. 24.

(f) Luc. 10. v. 30.

IV. Alteram feralem tragœdiam nobis
Et cruen-
tæ aded
mortis
Christi. repræsentat Calvariæ clivus. Intueamur
 hic unigenitum æterni Patris Filium, pro-
 brosæ trabi tribus clavis affixum, duos
 inter latrones medium, ab omnibus
 derelictum, toto corpore saucium,
 horrendos inter cruciatus & columnias
 cum clamore valido exspirantem. O
 cœli! quis, quæso, tyrannus, quæ pasta
 tigride bellua crudele hoc facinus pa-
 travit?

Ah! respondent *angeli, pacis amarè*
fletentes: (g) *inimicus homo hoc fecit;* (h)
respectus humanus est illa fera pessima,
 (i) *quæ per Pilatum tragicum hoc*
spectaculum edidit. Cupido placendi
Hebræis, Cæsarique displicendi timor,
hic Servatorem flagellis discepserpsit: hic
homicidæ posthabuit, & contumeliis
affecit: hic furibundæ plebi innocen-
 tem tradidit, in furcam agendum. O
nefas horrendum, immane, ingens! ad
*cujus conspectum meritò sol obscura-
 tur, petræ scinduntur, & ipsa tremunt
 funda-*

(g) Isa. 33. v. 7.
 (i) Gen. 37. v. 33.

(h) Matth. 13. v. 28.

fundamenta terræ. Hic certè , si unquam aliàs, hujus pestis stultitia , tyran-nis , improbitas orbi exposita patuit; hic suum illa virus ante omnium oculos palam exeruit.

Nam Pilatus hunc oblatum sibi à sacerdotibus hominem criminis pu-
rum esse ipsus agnovit : sciebat, quod
solùm per invidiam tradidissent eum :
(l) publicè fatebatur , se nullam in eo
mortis causam invenire: (m) quin imò
etiam querebat dimittere eum. (n) At
en ! vix Judei clamârunt, dicentes : si
hunc dimittis , non es amicus Cæsaris ;
(o) cùm ecce ! mox in alium abiens
virum, æquitatis repente oblitus, sine
mora adduxit JEsum foras ; sedit pro
tribunali ; (p) dimisloqué Barrabba ,
volens satisfacere populo, (q) JEsum tra-
didit voluntati eorum, ut crucifigeretur.
(r) Vix respectus humanus media é
turba impium extulerat caput; vix vo-
cein intenderat , Præsidisque animum

O' 5 percule-

-
- | | |
|-----------------------|----------------------|
| (1) Matth. 27. v. 18, | (m) Luc. 23. v. 22, |
| (n) Joan. 19. v. 12. | (o) Joan. 19. v. 12. |
| (p) Joan. 19. v. 13. | (q) Marc. 15. v. 15. |
| (r) Luc. 23. v. 25. | |

perculerat; mox omnis justitiae amor, incussus ab uxore terror, conceptus de Messia timor momento citius evanuit: mox omne lumen intellectus, conscientiae stimulus, futurorum metus subito interiit. Tanta tamque scelesta, amens, & tyrannica hujus vitii rabies est.

Huc ergo jam adeste, ô delira aliorum phantasie mancipia! hunc montem ascendite, ad crucis pedem accedite, & hac decempeda hujus flagitii perversitatem metimini. En! illud ipsum scelus, quod in Pilato execrani, hoc in vestro jam finu velut asylo fovetis; eidemque idolo, cui Pilatus DEI Filium, vos animam immolatis; & quidem haec credentes, reique malignitatem cognoscentes immolatis. Quæ haec temeritas!

Quid ergo mirum? quod olim Divinus Judex, cum agnum exutus, leonem induerit, & tortores flammæ ultrices suas exerent vires, talibus insultaturus sit, dicendo: *ubi sunt dñi vestri,*

stri, in quibus habebatis fiduciam? quorum favorem meæ gratiæ prætulisti; surgant modò, & opitulentur vobis; (s) eruant modò vos è manibus Omnipotentiæ meæ, quam toties offendistis, ne illos affligeretis. Quid mirum? quod tales post mortem non participent suffragia Ecclesiæ, quibus Lancius (t) illos privari censet, qui, dum viverent, pluris faciebant homines, quam DEUM. Ex his patet, quanta in oculis Divinæ Majestatis, quamque detestabilis ac noxia hujus delicti nequitia sit.

O Domine! qui vita & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: (u) coram quo tanquam momentum stateræ, sic est orbis terrarum; (x) heu! quid feci? dum ex vano respectu aut bonum aliquod omisi, ne riderer; aut malum aliquod patravi,

ut

(s) Deut. 32. v. 37, & 38. (t) Tom. I. Opusc. 6. cap. 4. ubi hæc habet: prudenter rem ponderando, non videntur ii mereri post mortem suffragiorum auxilia, qui dum viverent, pluris faciebant homines quam Deum, cedendo humanis respectibus.

(u) Sap. 16. v. 13. (x) Sap. 11. v. 23.

ut laudarer; dum te læsi , qui potes &
corpus & animam perdere in gehennam,
(y) ne hominem contristarem , qui
non est nisi gutta roris antelucani. (z)
Agnosco tandem hujus noxæ stulti-
tiam, odi tyrannidem, abominor im-
pietatem. Inspectante cœlesti curia
universa, pleno rationis sensu & vo-
luntatis consensu imaginarium illud
idolum: quid dicent homines, ex cor-
dis ara jam nunc deturbo , conculco ,
execror. Obmutescat potius lingua ,
exarescant citius manus, quam ut post-
hac aliquid agant , aut loquantur ,
quod hunc execrabilem affectum sa-
piat. Deinceps tibi, ô DEUS! placere
unus sit labor meus , tibi displicere
unus timor.

§. IV.

Respectus humani antidota.

Cùm respectus humanus (ut supe-
riùs dictum) sit vitiosa cupido
hominibus placendi, eisque displicen-
di humilis metus , palam est , eum su-
perbiæ

(y) Matth. 10. v. 28.

(z) Sap. 11. v. 23.

perbiæ suam genesin debere, ex qua ille timor contemptionis, & amor aestimationis enascitur. Quod biceps monstrum postmodo causa est, ut plura patrentur mala, & omittantur bona ideo solùm, ut vel aliorum gratiam & laudes aucupemur, vel dictoria & despectiones evitemus. Gemini huic malo antidotum oppono, 1. humani judicii contemptum, 2. Divini judicii metum. Illius enim impiam inanitatem; hujus verò sumnum rigorem si rite perpenderimus, illud idolum: *quid dicent homines?* victrici pede calcabimus, eiisque ærea fronte audaces insultabimus.

I. Primum igitur quod attinet scilicet ^{L.} *Humani* judicii *contemptus*, ut *contemp-*
is altas in animis radices agat, sufficiet *tus.* illius vanitatem acutiori oculo inspe-
xisse. Hanc autem, ut plena luce co-
gnoscas, solùm consideres, velim, qui-
nam ergo sint illi *montium dñi*, (a)
filiæ Titan & excelsi gigantes, (b) quo-
rum deliramenta vivendi tibi regula
sunt?

(a) 3. Reg. 20, v. 28. (b) Judith 16, v. 8.

sunt? nempe homines sunt natura tibi similes, conditione æquales, dotibus fors inferiores; iisque erronei, inconstantes, vitiosi, quorum opinionibus error, affectibus inconstantia, exemplo improbitas omne pondus adimit & momentum. Singula breviter expendamus.

I. Inprimis illi (si Superis placet) de genere giganteo heroes, (c) quorum amore leges violas, animam lædis, DEum irritas; mortales sunt ex eodem, quo tu, limo compacti: iisdem, queis tu, miseriis subjecti: in eundem, quem tu, cinerem redigendi. Sunt urbis ejusdem cives, domus ejusdem incolæ, religionis ejusdem membra, quos tu forsitan prosapiâ, virtute, scientia antecellis, superasque.

Et horum tu crises adeò anxiè formides? horum tu sensis sacrilegum thus mox pronus adoleas? horum tu verba veluti verbera tam pavidè timeras? horum, inquam, tu censuram adeò

adeò pertimescas , qui tamen tuam ,
quam tu de ipsis foves , existimatio-
nem flocci faciunt , & superbo risu ex-
sibilant ? qui tuam de ipsis sententiam
æquè parum , ac muscæ stridorem cu-
rant ? quibus tu eodem , quo fungus,
es loco ? & horum de te judicium tibi
sit adeò sacrosanctum ? & quidem tibi ?
cùm tamen illis tua de ipsis opinio
non nisi nugæ sint & aniles gerræ.
Quæ mentis , quæso , hæc vilitas ?

Quidcunque tu de illis sentias , di-
casque , propterea illi nec latum un-
guem ab arrepto temporis tramite defle-
tent. Sive suo agendi modo tibi pla-
ceant , sive displiceant , id curarum
illis ultima est. Propter te nec capil-
lum curvabunt. Cur ergo tu eos adeò
supplex reverearis ? cur tu eorum cau-
sa Numen offendas ? cur tu propter eos
desinas esse bonus ; cùm tamen ji pro-
pter te minimè omittant esse mali ?
Illi non plus juris in te , quam tibi
in eos competit ; cur ergo tu illorum
phantasiæ mancipium sis ? cùm eorum
habilitatem præ tua despicias ; cur non

&

& eorum judicium præ tuo contemnis? cùm in aliis rebus te eisdem præferas; cur non & in hac? cùm te illis censeas meliorem, cur non & prudentiorem? Age ergo, & humiles hos abjice respectus; hic enim superbias, licet. Par pari repende: contemptui contemptum repone: ridentes te, etiam tu sed sanctius ride. Quod enim illi sunt, etiam tu es, æquali sorte beatus.

2. Idque eò magis te facere convenit; cùm non solum ejusdem tecum fortunæ homines, sed *erroneis* insuper opinationibus obnoxii homines sint. Nam hoc ipso, quod ii, pietati deditos, obloquiis vexent; liberioris verò genii trostulos pro semi - deis habent? hoc ipso quod fervidos fugiant, tepidos ament, virtutem horreant, vicio blandiantur, probanda culpent, & culpanda probent, manifestum est, eos illorum ex numero esse, qui, sacra testante Pagina, non sapiunt ea, quæ DEI sunt; sed quæ hominum, (d) & quæ carnis sunt, (e) dicentes bonum malum, & malum

(d) Marc. 8, v. 33. (e) Rom. 8, v. 5.

malum bonum : ponentes tenebras lucem,
& lucem tenebras : ponentes amarum in
dulce, & dulce in amarum. (f) Quorum
proin sapientia stultitia est apud DEUM,
(g) & merus error. Nam cum con-
traria Christo sensa foveant; æterna ve-
rò Sapientia falli nequeat; ergo eos in
suis ideis errare, evidens est.

Et horum erroneam tu argutationem
cœcus adores? tu, inquam, qui etiam
in rebus fidei subin dubius hæres. Ho-
rum dicteria Delphicæ Tripodis tibi
oracula : horum erraticæ delirations
vitæ tibi regula sint? Obscro, quæ Cir-
ce te fascinavit, ut omnem tibi ratio-
nem adeò fœdè incantari sinas? Quis
enim prudens litteras negligit; quia hæ
ab indoctis vilipenduntur? quis fame
se conficit; quia furiosi cibum esse
venenatum vociferantur? quis argen-
tum abjicit; quia ab imperitis stan-
num dicitur? Et tu scientiam Sancto-
rum, animæ cibum, virtutis curam te-
merè spernas; quia ista à deliris ho-

Pars I.

P

munci-

(f) Isa. 5. v. 20. (g) 1. Cor. 3. v. 19.

munctionibus stulto risu exsibulantur ?
quæ hæc prudentia !

3. Quid ? quod erronei hi censores
in suis quoque judiciis mirè *inconstantes* sint. Nam quem hodie laudibus
super æthera tollunt , ingestis cras vi-
tuperiis, infra tartara deprimunt : quod
hodie approbant , cras denuo impro-
bant : qui hodie ab ipsis heros , cras
audiet fungus. In ipsorum mente non
ratio , sed dominans affectio pro tri-
bunali sedet, quæ pro varia temporum
vicissitudine, aëris mutatione, humo-
rum agitatione , bilis commotione
absolvit , vel damnat : eligit , vel re-
probat : laudat , vel vituperat , non
quod æquitas dictat , sed quod im-
petus suadet.

Et hi errores omni momento mu-
tabiles : hi ignes fatui quovis flatu
mobiles : hæ animatæ lunæ vivique
apries vivendi forma viæque ad cœ-
lum tibi duces sint ? Horum censoria
virgula tibi altera Moysis virga sit, quæ
minaci cuspede omittenda tibi , agen-
daque

daque designet? Vah! pudeat te tui,
& si vel unica judicij scintilla tibi su-
perstes gliscit, saniora decerne.

4. Accedit, quod inconstantes hi
Vertumni insuper *vitosi* sint; variis-
que naves contaminati ita vivant, ut
jure vilipendi ab aliis, contemni que
merentur. Et de hac illorum vitiosi-
tate tibi constat; nisi enim tales eos
esse tu ipse existimares, nec per vitium
te illis placitum sperares, nec ob vir-
tutem displicitum timeres. Utrum-
que ergo cum speres, & timeas, pa-
tet, illos etiam a te imperfectis annu-
merari, & probitatis parum studiosos
censeri. Et isti jam tibi sint norma-
recti? horum judicium tuum sit Deu-
teronomium? horum vita morum tibi
speculum sit?

Quæ hæc amentia! scire eos
homines esse tibi æquales, errori-
bus obnoxios, inconstantiae devotos,
defectibus plenos; id, inquam, scire,
imò & fateri; nec tamen eorum deli-
ramenta contemnere; quin ea etiam
pertimescere, revereri, ac suspicere;
id enimvero improba fatuitas & fatua

improbitas est, lustrico carcere & flam-
mantibus catenis digna.

At dices: agnosco quidem rei in-
dignitatem, ingeminisco ipsus ego mi-
seræ sorti meæ; quin & irascor duræ
servituti. Sed ferendum est, quod vi-
tari nequit: ex hoc morbo non solus
decumbo: serviendum tempori: con-
nivendum praxi: exspectandum, do-
nec sanctiora redeant sacula. Aliorum
enim genio nî me conformavero, di-
cteriis carpent, cachinnis explodent,
sarcasmis obruent? eroque meta, in
quam aculeata verborum jacula omni
ex parte convolabunt.

Verùm ô bone! secus si feceris; si
hominum tibi æqualium, erroneous,
inconstantium ac vitiosorum ineptas
opinationes despixeris; pii te encomiis
efferent, summè æstimabunt Cælitæ,
Christus ipse paterno affectu te com-
pletebitur, & coram Patre Divino tota-
que cœlesti curia suum te esse palam
profitebitur? memor scilicet sui illius
promissi: *omnis, qui confitebitur me co-*

ram

ram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; (h) apud quem nec mundi stilus, nec temporum iniqüitas, nec reorum numerus te excusabit. Hic ergo jam delibera, & cuinam parti odiosus esse eligas, determina; nempe an piis, Cœlitibus, Christo? num verò insulsis quibusdam, lunaticis & probitate parentibus socienis? qui tamen ipsi olim suum hoc judicium damnabunt, teque, quod secutus id fueris, culpabunt.

Antequam tamen quidquam decernas, priùs seriò perpende, an non ferreis digna clathris mania sit, velle displicere bonis, ne displiceas malis? malle offendere custodem Angelum ipsumque DEUM, quam pauculos quosdam effrontes, tepidos ac petulantes socios? licet provideas, te nec his omnibus satisfacturum. Bene, inquam, priùs considera, an non cordatis hominibus (verba sunt Gregorii Nazianzeni) pluris faciendum, magisque curandum sit judicium Numinis, quam omnium

aliorum in unum coactorum? Et quidnisi?
 (pergit idem Sanctus) An ergo judicium caci de coloribus præferes judicio oculati? An ergo, velut alter Roboam, judicia juvenum præferes judicio sénium? Et cùm DEUS & homines inter se expenduntur; an ergo judicia hominum potiora duces, quam DEI? (i) hominum, inquam, & quidem talium, quos ut omnes tibi & constanter faventes habeas, nunquam obtinebis.

5. Id enim qui intendit, qui omnibus & semper placere cupit, is hircocervos venatur, vulpanseres aucupatur, stulto labore consumitur. (l) Quidcunque agas, ô vane! quacunque gradiaris via, in quamcunque te flectas partem, censoriam mortalium ferulam nunquam & nuspiam effugies. Nam (quod pii Ascetæ effatum est) omnibus placere non est possibile. Et licet Paulus omnibus omnia factus est; tamen ne ab aliis aliquando judicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. (m)

Ne

(i) Oratione 2. (l) Exod. 18. v. 18. (m)
 De imit. Christ. I. 3. c. 36. n. 1.

Ne quidem illis gregalibus tuis omnibus & semper probaberis. Cùm enim illi ob discordantes, quas nutritunt, affectiones regnum inter se divisum sint, diversa sentiant, & mutuò contraria velint; quidquid facias, apud eorum aliquem delinquas, oportet; unique velificando, hoc ipso alterutrum contristes, necessum est. Cumque insuper ii, utpote pravis motionibus obnoxii, se invicem plerumque etiam aversentur; ut uni injucundus accidas, satis erit, arrississe te alteri. Quin etiam illos ipsos, apud quos hodie cum reliquorum offensa gratiam injisti, cras tibi pariter ob rem nauci offendos senties. Imò ut nemini placeas, sufficiet hic tuus aliis displicendi metus. Et sic non solùm apud Cælicolas & probos, quos tamen ob tepidos spernis; sed etiam apud tui furfuris fodales, quorum amore conscientiam maculas, justa Talionis pœna offenditionem incurres.

Hæc ergo cùm ita se habeant, te ipsum modò judicem volo, an non

P 4 deli-

deliræ mentis indicium sit, sui ipsius tortorem agere, dæmonis martyrem ac stultæ aliorum phantasiæ mancipium esse; quin imò propriam animam, pios omnes, ipsamque adeò æterni Numinis Majestatem audaci protervia lädere, irritare, lacessere, ut effugias judicia mundi, quæ tamen ha-
ctenus nemo unus nec ipse Christus declinare potuit? ipsus, inquam, tu judica, an non ingens hæc dementia sit? Cùm ergo cribro aquam haurias, quicunque criticos aliorum dentes te evasurum speras; solùm superest, ut generosè contemnas, quod, ut devites, adipisci non vales. Ipsa hæc infelix, aliorum censuras subeundi, necessitas te illas animo sanctè superbo despicerre doceat.

6. Et tandem quid mali tibi inferre, vel quid boni afferre, hæ aliorum de te opinationes possunt? eæ nec meliorem te, nec deteriorem reddent. Quid confert Soli, eundem ab Indis coli ut DEUM? & quid nocet Lunæ, eandem à canibus allatrari? Quid decedit

cedit auro, si à cœco credatur plum-
bum? aut quid pretii accedit vitro,
si ab imperito censeatur gemma? Pone,
agasonem putari regem; num is re-
gium propterea conscendet thronum?
Finge, Cræsum judicari Codrum, aut
vice versa; num ille propterea egentior,
hic ditior erit? Improbus si es, talis
manebis; licet homines te sanctum ju-
rent. Probum autem si te conscientia
clamet, talis eris; licet æmulus livor
te improbum jaëtet.

Quod es, hoc es (ait Thomas à Kem-
pis) *nec major dici vales, quam DEO*
teste sis. Non es sanctior, si laudaris:
nec vilior, si vituperaris. (n) *Sive enim*
bene, sive male interpretati fuerint, non
es ideo alter homo. (o) Ergo (pergit
concludere idem Auctor) ergo huma-
num ne metuas judicium. (p) Sed po-
tiùs generoso neglectu despice ridicu-
lum illud phantasma: *quid dicent de*
me, quid sentient homines? Dicant sanè,

P 5 &

(n) De imit. Chri. l. 2, c. 6. n. 3. (o)
Ibid. l. 3. c. 28. n. 2. (p) Idem l. 3.
c. 36.

& sentiant illi, quodcunque voluerint;
tu esse cura, quem te exoptat DEUS,
& tibi ludibrio sit mundus. Tædeat
te ventis auræ popularis instar erraticæ
nubis variè circumferri, & levem in
diversa abripi non pondere rerum, sed
opinionibus hominum.

Excute tandem perniciosa hanc,
quam haec tenus animo fovisti, de alio-
rum judiciis æstimationem ; cùm ea
sit fons, si non omnium saltem præ-
cipuarum, quibus cruciamur, afflictio-
num. Dum enim quis ob locum,
in quo degere: aut ob munus, quod
cogitur obire, tristis dejicitur ; dum
de alterius obloquio, negato honore,
illata injuria querulus dolet, unica
plerumque morbi causa est hominum
de hac re opinio. Sola hæc cogitatio:
quid alii nunc dicent, quid de me cogi-
tabunt, & sentient? est ille nequam
artifex, qui plerasque nostras crues,
opitulante phantasia, fabricatur, exag-
gerat, extendit, aggravat, & auget.
Solummodo scrutare mentem tuam,
ac non nihil in motionum tuarum
origi-

originem inquire, & rem me unaquæ
ulcus tuum acu tetigisse fateberis.

Quicunque ergo lætos vivere soles
ac aureum cupis ævum ; quicunque
stabili pace perfrui tranquillus optas,
execrandum hoc idolum : *quid dicent
homines?* oblivious contemptus tenebris
sepelias, ac sollicitè caveas, oportet, ne
illud à superbia ullo unquam tempore
in lucem denuo protractum , cordis
aræ imponatur ; & experieris humani
judicii neglectum , pellendo respectui
humano , excellens subsidium esse.

II. Alterum fugandi hujus mali re-
medium ac potens pariter, hominum ^{Divini ja-}
opiniones contemnendi, incitamentum ^{dicii me-}
tus.
est solidus , ac altè animo impressus ,
Divini illius Judicii metus , quod sub
finem mundi *Filius hominis , veniens in
nubibus cœli cum virtute multa & maje-
state , instituet.* (q)

I. Hujus scenæ timorem efficax
contra tartaream hanc pestem antido-
tum

tum esse, testatur ipse Gentium Doctor Paulus. Cum enim ad Corinthios scripsisset, *sibi pro minimo esse*, ut ab eis judicetur aut ab humano die, rationem, ad spernenda mortalium sensa se impellentem, mox exprimit, dicens: *nam qui judicat me, Dominus est;* (r) non æqualis mihi, erroneus, inconstans, viciosus & impotens homuncio; sed Dominus, & quidem *Dominus Omnipotens;* (s) *cui non est similis;* (t) *in cuius manu omnis sapientia;* (u) *qui idem semper est,* (x) *magnificus in sanctitate,* (y) *fortis potentia;* (z) *cuius iræ nemo potest resistere;* (w) *qui potest perdere, & liberare;* (aa) *hic, inquam, eos, qui favorem hominum Divino prætulerunt, statuet in judicio vivos;* cumque arguerit eos, etiam corripiet eos; (bb) *& effundet quasi ignem indignationem suam super eos.* (cc)

Tunc

-
- (r) 1. Cor. 4. v. 3. & 4. (s) Judith. 16. v. 20.
 (t) Psal. 85. v. 8. (u) Sap. 7. v. 16. (x)
 Psal. 101. v. 28. (y) Exod. 15. v. 11. (z)
 Eccli. 15. v. 19. (w) Job. 9. v. 13. (aa) Jac.
 4. v. 12. (bb) 4. Esdr. 12. v. 33. (cc) Thren.
 2. v. 4.

Tunc revelabunt cœli iniqitatem ac stultitiam respectus humani, & terra exurget adversus impios hujus idoli cultores. (dd) Ipsimet miseri illi, oborto lumine, intimè perspicient inanitatem mortalis judicii, ac æternitatis radio illustrati, plena luce cognoscent, quām perversè ac stolidè egerint, lædendo supremum Numen, ne offenderent abjectum vermem: mallendo displicere D E O, quām inani socio; ac potius contristare curiam cœlestem quām leviculum gregalem. Enimvero sola hujus dementiæ viva recordatio eorum mentem pudore, artus tremore complebit.

2. Tunc iratus judex, *indutus vestimentis ultionum*, (ee) & tonans voce magnitudinis suæ, (ff) vilibus his mundi mancipiis, quasi insultando, dicet: *ubi sunt dii vestri, in quibus habebatis fiduciam?* surgant nunc, & opitulentur vobis, ac in hac necessitate modò vos protegant. (gg) *Videte nunc, cui me assimila-*

(dd) Job. 20. v. 27. (ee) Isa. 159. v. 17.
(ff) Job. 37. v. 4. (gg) Deuteron. 32. v. 37.

238 Pars I. Cap. V. §. IV. Num. II.

assimilaveritis, & adæquaveritis; (hh) imò & postposueritis. Fatemini, quòd ego sim solus, & non sit alius præter me. En! si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, quis vestrū resistet mihi? Reddam ultionem, inebriabo sagittas meas, & gladius meus devorabit? & non erit, qui vos de manu mea possit eruere. (ii) Ita tonabit ille in voce sua mirabiliter. (ll)

O infelices! ad ista quæ vobis tunc mens erit? cùm derelicti ab illis ipsis, quorum amore Divinam Majestatem roties irritastis: cùm DEUS quasi tumultes super vos fluctus ingruet, (mm) & toto furoris pondere in vos solos incumbet: cùm is quasi leo in spelunca sua (nn) vos deprehensos obruet, omni ope destitutos: cùm nec Sol iustitiae Christus, nec Lunæ jubar Maria, nec Cœlites stellæ amplius dabunt lumen suum, nec radiis gratiæ lucebunt vobis; quæ, inquam, tunc de respectu &

(hh) Isa. 46. v. 8. (ii) Deuter. 32. v. 41.
& seq. (ll) Job. 37. v. 3. (mm) Job. 31.
v. 23. (nn) Psal. 10. v. 9.

& judiciis hominum sensa fovebitis :
quo illa loco per vitæ cursum habuif-
se optabitis ?

Præcipuè quando videbitis , quod illi ipsi , quorum deliramenta vitæ ve- stræ erant regula , hæc audientes , & videntes , turbentur timore horribili , di- centes intra se : ergo erravimus à via ve- ritatis , & viam Domini ignoravimus ? quando cernetis , quod hi ipsi , quo- rum modò cavillationes vobis sunt vi- vendi norma , quod , inquam , hi ipsi pænitentiam agentes , & præ angustia spi- ritus gementes , exclament : en ! hi so- dales olim ac contubernales nostri , hi sunt , quos aliquando ob morum mode- stiam virtutisque studium habuimus in- derisum & in similitudinem improperii ! Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam , & finem illorum sine honore . Ecce ! quomodo computati sunt inter filios DEI , & inter sanctos sors illorum est . (oo) Nunc fulgent quasi splendor firma- menti , & quasi stellæ in perpetuas aeter- nitates . (pp) O ! quam prudenter ege- runt ;

(oo) Sap. 5.v. 2. & seq. (pp) Dan. 12.v. 3.

runt, quod nostras irrisiones irrise-
rint, & contemptiones contempserint.
Hos, inquam, talia ululantes, & cum
gemitu vociferantes, cùm perceperitis,
quam tunc opinionem de illo vestro
idolo: *quid dicent homines?* concipie-
tis? quid fecisse desiderabitis? O quis
pavor tunc, quæve tristitia animum
occupabit?

3. Verùm nihil hæc sunt, compa-
rata illi consternationi, qua exanima-
bimur; cùm Divinus Judex opere ipso
complebit illas terribiles iminas, quas
in Evangelii libris intentavit his ver-
bis: *qui negaverit me coram hominibus,*
negabo & eum ego coram Patre meo, qui
in cælis est. (qq) Item: *qui me erubue-*
rit & meos sermones, hunc Filius homi-
nis erubescet; cùm venerit in majestate
sua & Patris & sanctorum Angelorum:
(rr) quod enim respectui humano
mancipati, Christum suo modo ne-
gent, & erubescant, §. 3. ostensum
est. Proin, secundùm relatum suprà
oraculum, Servator noster tales illo
judi-

(qq) Matth. 10. v. 33.

(rr) Luc. 9. v. 26,

judicij tremendo die coram universo
orbe, Angelis, Cælitibus ac æterno Pa-
tre pariter negabit, ac erubescet.

Quid autem horribilis, quām fri-
gida mente ignorari ab illo, à quo
solo nostra tunc salus dependet? quid
terribilis, quām pudori esse illi, à
quo nostra omnis gloria promanat?
Nam quorum nos pudet, hos & nau-
seamus, & ab iis oculos avertimus.
Quid autem funestius, quām Christum
suos illos misericordes oculos à nobis
avertere? quām Divinum illud Cor
nauseare nos, & abhorrere? Ah! à
facie frigoris ejus quis sustinebit? (ss)
præcipue si pulsantibus, & ad cœlestes
nuptias admitti potentibus, clausa ja-
nuâ, reponat triste illud: *nescio vos;*
(tt) aut illud alterum: *non novi homi-
nem,* (uu) benevola scilicet illa ac ple-
na amoris scientia, qua fideles sibi
mentes discernere consuevit. Hac er-
go plaga ne & tu puniaris, *time DEUM,*
(xx) ejusque judicium metue; hujus

Pars I.

Q

enim

(ss) Psal. 147. v. 17. (tt) Matth. 25. v. 12.
(uu) Matth. 26. v. 72. (xx) Prov. 3. v. 7.

enim constans metus saluberrima est contra hunc , quem impugnamus , morbum panacea.

Igitur conjecto in cordis intima acris obtutu, serio inquire, 1. an non etiam tu illorum ex numero sis, qui (immenses illius Sapientis effati : qui timet hominem , citò corruet) (yy) illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor ? (zz) id est , an non etiam tu ex vano aliis displicendi respectu plurima commiseris mala? & plura itidem omiseris bona ex futili iisdem placendi pruritu? Ita si est, scito ; quod pro omnibus his aducet te DEUS in judicium. (aaa) Proin in tempore te emenda , illasque occasionses designa , in quibus huic malo ope examinis particularis occurrere statuis.

2. Sedulò indaga , an fide viva credas sequentia æternæ Veritatis oracula? scilicet, nemo potest duobus dominis servire , Christo scilicet, & mundo: (bbb)

(yy) Prov. 29. v. 25. (zz) Psal. 52. v. 6.
(aaa) Ecclæ. II. v. 9.

(bbb) quicunque voluerit esse amicus hu-
jus sæculi, inimicus DEI constituitur.
(ccc) item hæc: si hominibus placerem,
Christi servus non essem. (ddd) DEUS
dissipabit ossa eorum, qui hominibus pla-
cent. (eee) Adeoque examina, an non
aulico ritu aliis inserviendo, abjecte
blandiendo, verbis adulando, sæcula-
rium mores imitando, hominum fa-
vorem aucuperis? O miser! quod tam
solicite quæris, lanugo est, quæ à vento
tollitur: spuma gracilis est, quæ à procella
dispergitur: fumus est, qui à vento dif-
funditur. (fff) Similis Æsopico cani-
es, qui rem perdis, ut umbræ inhies:
qui æterna negligis, ut transitoria nun-
dineris. Ah! tandem aliquando alio-
rum damnis sape.

3. Disquire præterea, an practicè
tibi persuasam habeas veritatem illius
enunciati, à Christo nobis per Mat-
thæum & Lucam intimati: nempe no-
lite timere eos, qui occidunt corpus; ani-

Q. 2 mam

(bbb) Matth. 6. v. 24. (ccc) Jac. 4. v. 4.
(ddd) Gal. 1. v. 10. (eee) Psal. 52, v. 6.
(fff) Sap. 5, v. 15.

mam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum , qui potest & animam , & corpus perdere in gehennam. (ggg) item : dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his , qui occidunt corpus , & post hæc non habent amplius , quid faciant . Ostendam autem vobis , quem timetis : timete eum , qui , postquam occiderit , habet potestatem mittere in gehennam . Ita dico vobis , hunc timete. (hhh)

Proin vide , an fixum animo sedeat , potius omnium odia incurrere , sociorum ludibriis exagitari , ab eorum conventiculis excludi , illorum dictariis vexari , ab ipsis contemni , & vitari ; quam supremum Numen veniali noxa offendere ? Quid haeres ? . . . Audi monentem Ecclesiasticum : pro his omnibus ne confundaris , & ne accipias personam , ut delinquas propter eam. (iii) Nam maledictus , qui confidit in homine , & ponit carnem brachium suum ; ita , ut ejus gratia laetat Creatorem. (lll)

4. Dem-

(ggg) Matth. 10. v. 23. (hhh) Luc. 12. v. 4. & seq. (iii) Eccli. 42. v. 1. (lll) Jerem. 17. v. 5,

4. Demum inquire, an ægrè feras,
si alii frigidè tecum agant, tuum con-
sortium fugiant, teque aversentur?
Hoc ipsum est, ais, quod mentem
adeò urit, cruciatque. Verùm quid
doles, quòd non fallaris? . . . quòd
plurimorum fons tædiorum tibi ob-
turetur? . . . quòd non fruaris illa so-
cieta, qua caruisse olim gaudebis? . . .
Nunquid non DEUS tibi melior est, quam
decem (mmm) ejusmodi gregales?
imò quam milleni tales erronei, in-
constantes, vitiosi sodales? Lætare po-
tiùs, quia *odit te mundus*; signum id
est, quod *de mundo elegerit te Chri-*
stus; *si enim de mundo es*, mundus uti-
que, quod suum erat, diligeret; quia au-
tem de mundo non es, propterea odit te
mundus. (nnn) Proin gaude.

Præterea scito, quia Christum priorem
te odio habuit; (ooo) non est autem di-
scipulus supra Magistrum. (ppp) Exulta
igitur, quod à mundo eodem, quo

Q 3

ille,

(mmm) 1. Reg. 1. v. 9. (nnn) Joan. 15.
v. 19. (ooo) Ibid. v. 18. (ppp) Matth. 10.
v. 24.

ille, habearis modo. Denique transitorii hi, quibus tepidi te afficiunt, despectus abunde compensantur genuina illa ac æternum duratura existimatione, quam de te probi in terris, ac Beati in cœlis concipiunt, semperque fovebunt. Quin imò illi ipsi quoque irrisores tui sub finem vitæ & orbis te propterea encomiis efferent.

Igitur licet ejusmodi Iudicatoribus frons ærea sit; (qqq) tamen ne timeas eos, neque metuas à facie eorum: nam dabit tibi DEUS (modò heroicis surgas in ausus) faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorrem frontibus eorum. (rrr) Primi solummodo diebus eorundem cavillationes cataphracto pectore immotus excipias, oportet, & vicisti. Hi ipsi postea laudum tibi thura litabunt; & quem priùs sibi similem vilipenderunt, nunc dissimilem reverebuntur.

At oppones: non solum agitur hic de fugiendis hominum irrisiōnibus, sed

sed de vitandis, quæ aliæ inferent, damnis. Timendum enim, ne irati noceant. Verùm reponit Augustinus, non nocebunt homines, nisi permittat DEUS. Dein isti semper habent voluntatem nocendi; nec si placentur, nec si rogentur, desinunt nocere velle. Hoc enim malevolentia illorum proprium est. Ergo quid facies eos colendo, nisi ut offendas illum, quo offenso in istorum potestatem daberis. Et qui tibi nihil possent facere, illo placato; facient tibi quidquid volent, illo irato. Hæc Africæ lumen Augustinus. (sss)

Itaque Pauli monitum securus, obverso tergore totum tibi mundum crucifige, (ttt) ridentem ride, spernentem sperne, & contemptis ejus judiciis, non nisi Divinum metue. Cura, ut non jam desideriis hominum, sed voluntati DEI, quod reliquum est in carne, vivas temporis. (uuu) Secus, vñ tibi! nam horrendum erit incidere in manus DEI viventis; (xxx) tum quia non est

Q 4 sanctus,

(sss) Enar. 2. in Psal. 26. (ttt) Gal. 6. v.
14. (uuu) 1. Petr. 4. v. 2. (xxx) Hebr.
10. v. 31.

*sanctus, ut est Dominus, qui ejusmodi
vanos timores infinito odio aversatur;
tum quia non est fortis, sicut DEUS no-
stros (yyy) ipse enim est, qui vite &
mortis habet potestatem: qui deducit ad
inferos, & reducit: (zzz) & non est,
qui effugiat manum ejus. (w) Igitur
hujus solius judicium time; hominum
vero judicia contemne; & gemino hoc
antidoto munitus, respectum omnem
humanum facili negotio fugabis.*

(yyy) 1. Reg. 2. v. 2. (zzz) Sap. 16. v.
13. (w) Tob. 13. v. 2.

